









1687.

1. Beckmann, Johann Valt: *De media juris prudentia
jurisconsultorum Romanorum.*
2. Beckmann, Joh. Valt: *De belli commercis*
3. Beckmann, Joh. Valt: *De terminis taxonicis.*
4. Beckmann, Joh. Valt: *De his, quae in continentibus
fiunt*
5. Beckmann, Johann Valt: *De privilegiis*
6. Eschenbach, Andreas Christianus: *De unktionibus gentilitium*
7. Hartung, Joh. Christophorus: *De conditione si non nups-
erit.*
8. Hartung, Joh. Christophorus: *De actionibus advocato
et clienti adversus se invicem competentibus.*
9. Hebenstreit, Joh. Paulus: *De imperio mariti
in uxorem.*
10. Knopff, Christianus Alardus: *Nationalitatem conditionis
de assumenda religione pontificia heresi vel legationis
edscriptae in foro Romano . . . negabit.*

1687

11^a = Lynckerus, Nicolaus Christophorus: De expulsiōe con-
ductoris, si pensionibus non paruerit. 2 Sempl.

1687: 1743

12^a, 6^c Lynckerus, Nicolaus Christophorus: De auxiliatoribus
forum. 3 Sempl. 1687, 1745: 1755

13^a = Lynckerus, Nic. Christophorus: De idiomate Tursi-
nali. 2 Sempl. 1687: 1736.

14: 15. Müllerus, J. Jac.: De principe iuste suam utili-
tatem quaerente. I & II.

16. Müllerus, Petrus, Collegii iuridici Decanus: et
lectionem cursoriam Martini Kramatzi iuristae

17. Müllerus, Petrus, Collegii iuridici Decanus: et lectio-
nem cursoriam J. Philippi Mulleri iuristae.

18^a, 6^c Müllerus, Petrus: De aedificiis praedii nobilis. . .
2 Sempl. 1687: 1752

19^a = Müllerus, Petrus: De camera principis. 2 Sempl.
1687: 1765

1687.

26. Müllerus, Petrus : *Beati possidentes*. 2 Exmpl.
1687 - 1722.



19

D

E

144.
p

M

PRO

KÖNIGLICH
UNIVERSITÄT
ZÜRICH



Gr. 8. num. 16.

104

Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

AVXILIATORIBVS
F V R V M

Oder:

Von Diebs-Helffern.

QVAM
DIVINO NVMINE ADIVVANTE
SVB MODERAMINE

DN. NIC. CHRISTOPH. LYNCKERI

HEREDITARII IN FLVRSTAEDT ET KOETSCHAV
ICTI CONSVMMATISSIMI
SERENISS. DVVIS SAXO-VINAR. CONSIL. INTIMI
FAC. IVRID. SEN. ET ANTECESS.
PRIMARII ETC.

PRO LICENTIA
SVMMVM DOCTORIS IN VTROQVE IVRE GRADVM
PRIVILEGIA ET INSIGNIA MORE MAIORVM
RITE CONSEQVENDI

IN AVDITORIO ICTORVM

PVBLYCO ET SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SISTIT

CHRISTIANVS STERLICK

REGIOM. BORVSS.

AD D. XI. OCTOBR. c1010CLXXXVII.

IENAE, REC. LITTERIS RITTERIANIS
AN. MDCCXXXV.



DISSELTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA
DE

AVXILIATORIBVS F V R V M

Don.
Bon Giebs = Belflein.

QVAN
DIVINO NVMIQE ADVIVANTE
SVE MODERAMINE

DN. NIC. CHRISTOPH. LYNCKERI

HEREDITARIUM IN FVRSSTADT ET KOSTENAV
ICIT CONSUMMATISSIMI
SERENISS. DVCS SAXO-VINAE CONSIL. INTIMI
FAC. IVRID. SEN. ET ANTECESS.
PRIMARIJ ETC.

P R O L I C E N T I A

SVMMA DOCTORIS IN VIRGOVE IVRE GRADVM
PRIVILEGIJ ET INSIGNIJ HONORIS

IN ACDITIO IOCTONVM

TVBICO ET SOLENNI EXAMINI SEPT.

CHRISTIANVS STERLICK

AD D. XI. OCTOB. MDCCXXXII

GENAE, REG. LITTERIS RITTERIANIS

AN. MDCCXXXV.





QUOD Sacratissimus noster Imperator
in §. 3. *Proccm. Inst. Ulpianus in l. 1. pr. ff. de suspect. tut. & cur. Paulus in l. 25. ff. de liberat. leg. Imperat. Leo in tota sua Nov. 46. &c.* inculcant, ut ea, quæ quotidiana & utilia sunt plenius attingantur; Non immerito & ego pro instituti mei ratione adduco. Cum enim nuperrime Magnifica Jctorum Facultas, exantlatis Utriusque Juris examinibus, mihi ut materiam quandam publicæ lectioni, quam cursoriam vocant, ut & solenni Disputationi subjicerem, pro more & jubentibus ita statutis Academicis benevole permisisset, selegi argumenta tam lectionis hujus, ex *l. 14. C. de furt. & serv. corr.* quæ agit de res ablatas suscipiente, quam Dissertationis ex materia criminum, utpote in schola & foro versantibus utilissima. Multis quidem vitiis mortalium contaminata sunt ingenia, alium inordinatus ad Venerem abripit appetitus, alius caninam præ se ferens rabiem aliorum famam dente

Theonino arrodit, alium invidiæ tabes mi-
ferrimæ excruciat, alius helluari cum Bicon-
giis & Tricongiis partem virtutis esse autu-
mat. Alios nefarius superbiæ genius stimu-
lat, qui cum otio conjunctus sæpissime etiam
in causâ est, ut facultatibus deficientibus illi-
cita habendi cupido indies crescat, & fre-
quentatur, præsertim hoc nostro tempore,
ubi omnia ruunt in pejus, quod experientia
quotidiana & judicia publica testantur. Agi-
tat enim quosdam infatiabiliter aurilega ha-
bendi fames, ut aurum cum Crassio sitire vi-
deantur, dum quocunque modo ad pecunias
vetitas sub specie ambitionis honestæ fe-
runtur:

- - - *De moribus ultima fiet*

Quæstio. Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere.

*Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet & fidei.*

Primæ fere vota, & cunctis notissima templis

Divitiæ crescant, ut opes, & maxima toto.

Nostra sit arca foro.

Hac occasione mecum constitui de auxiliato-
ribus furum brevem quandam delineationem
exhi-

exhibere, sed ignoscendum mihi, si expectationi legentis non satis fecero, quippe tempore & suppellectile libraria destitutus, accuratam tractationem & qualem præfens materia exposcit, non promitto, nec tenuitas ingenii mei permittit. Aliqualem tamen ordinis rationem cape: Sectio Prima generalem auxiliatorum furum descriptionem, ejusque brevem explicationem exhibebit. Secunda Requisita auxiliatorum furum tradet. Tertia Actiones in auxiliatores furum competentes suppeditabit. Quarta Pœnas in auxiliatores furum statutas indicabit. Quinta & ult. Affinitatem habentes cum auxiliatoribus furum enucleabit. His præmissis rem ipsam aggredior, meque ad illum converto, a quo omnia omnes ducunt rerum exordia, *Tibi Triune Deus* prima omnis justitiæ origo, per *Jesum Christum* alteram omnis boni scaturiginem, devotissima mente supplico, ut scribenti mentem atque calamum Spiritus Sancti Tui gratia clementer dirigere, hocque meum inceptum ex alto secundare velis, quo omnia peragantur felicissime. Sit itaque

SECTIO I.
CONTINENS GENERALEM AUXILIATORVM
FVRVM DESCRIPTIONEM EIVSQVE BREUEM
EXPLICATIONEM.

§. I.

QVAMVIS operæ pretium sit in frontispicio Dissertationis de incunabilis vocabulorum atque terminorum esse sollicitum, inque nativam eorum inquirere significationem, is enim qui vim vocum ac terminorum ignorat, necessario quoque res ipsas ignorabit, cum voces nihil aliud sint quam *συμβολα η̄δ̄ ἀγάλματα* rerum, attamen semper circa explicationem vocabulorum hæere, imprimis si ea per se sint clara atque perspicua, nihil aliud est, quam circa corticem versari, nucleum vero non velle attingere. Cum igitur vel lippis atque tonsoribus notum quid auxiliator, quidve fur, omissa proluxa horum terminorum explicatione rem ipsam aggredior, statim suppeditaturus auxiliatorum furum descriptionem.

§. II.

Est igitur auxiliator furum, qui vel ante perpetratum furtum, vel in ipso actu furandi, vel post furtum commissum, consilio vel ope furibus aliquid auxilii præstat. *Vid. Hahn. ad Wesenb. tit. de recept. n. 1. Matth. Steph. ad consil. crim. art. 177.*

§. III.

Dictum autem in suppeditata definitione auxiliares furum esse, qui consiliis suis malitiam furum promovent, ubi statim monendum, quod per consilium hic non intelligatur delinquendi propositum, sed instructio atque hortatio, dupliciter enim hæc vox potissimum accipitur (1) in larga significatione, pro maligno & fraudulento proposito atque dolo, ut quando dicimus, aliquem ex deliberato consilio furtum commisisse: & in hoc sensu consilium ab ipsa opera seu actu nunquam separari potest. (2) In stricta, pro

pro specie scilicet mandati cujusdam pro hortatione scilicet atque instructione, quo in sensu operæ sive opæ opponitur, & nihil aliud est, quam persuasio, instructio atque impulsio ad furtum *Vid. Bartol. ad l. 53. ff. de V. S. Bachov. ad §. 11. J. pr. Consilium ait Manz. ad cit. §. 11. n. 4. dare videtur, qui persuadet & impellit, atque instruit consilio ad furtum faciendum l. 50. §. 3. ff. de furt. Quamvis igitur regulariter consilii nulla sit obligatio, cum liberum cuique sit, apud se explorare, an sibi expediat consilium, nec ne, juxta verba *Imperat. in §. 6. J. de mand. add. Besold. 2. Polit. c. 3. n. 55. nec eventus in manu consultoris sit. Bodin. de Republ. lib. 3. c. 1. quoniam ille sententiam suam saltem alicui exponit, atque quodammodo offert, quam sequi liberum est l. 2. §. fin. mand. vel contra. Habn. ad Wesenb. ibid. n. 7. Notabiliter tamen id fallit in consilio malicioso atque fraudulentato ratione cujus consultor doli judicium effugere nequit l. 10. §. 7. ff. mand. l. 7. §. 10. cum l. sequ. ff. de dol. mal. l. 47. ff. de R. I. malum enim consilium consultori pessimum. Imo maxime ejusmodi consultor qui consiliis suis delicta promovet, ad pœnam Reipublicæ obligatur, utpote quæ ex malicioso ipsius conatu damnum sentit non mediocre, id quod & hic obtinet *Manz. ad §. 11. I. de obl. que ex del. nasc. n. 16.* Sicuti vero consilium fraudulentum demum hujus est loci, ita ad constituendum auxiliatorem furis, consilium simplex quoque sufficere potest, v. gr. si quis de paupertate conquerentem indefinite, moneat & hortetur ut furtum faciat; Aliavero est quæstio, an ejusmodi sit auxiliator proprie sic dictus? quam quæstionem potius negative quam affirmative resolverem, quoniam neque actioe furti talis pulsari potest, sicuti infra suo loco dicitur. Notandum hic consilium duplicis esse generis; Aliud enim est quod subsistit in terminis simplicis monitionis & adhortationis, quo spectat exemplum modo propositum, si quis scilicet petenti pecuniam, & egestatem professo simpliciter spondeat, ut furto pecuniam sibi compareret: Aliud vero est, quo simul instruitur fur & modus v. c. penetrandi in aedes, aut**

locus,



locus, ubi pecuniæ reconditæ sunt ostenditur: quæ species consilii in furtum incidit, magisque constituit auxiliatorem furum quam prior. *Vid. de hac distinctione Bachov. ad Treutl. V. 2. D. 30. th. 3. lit. D.*

§. IV.

Quemadmodum vero consilium dare videtur, is, qui persuadet & impellit, atque instruit consilio ad furtum faciendum: Ita opem fert, qui ministerium atque adiutorium ad res surripiendas præbet *Ulp. in l. 50. §. pen. ff. de furt. Manz. l. c. n. 2.* Sumitur autem locutio hæc opem ferre potissimum dupliciter (1) stricte, & hoc in sensu opem fert is qui præsens juvat, aut absens instrumenta ad furandum prudens sciens commodat *l. 54. §. pen. ff. h. t.* hocque rursus fit bifariam (a) directo: veluti si quis scalas fenestris supponit, aut ut fenestris supponerentur commodat sciens, aut ipse fenestras aut ostium effringit, ut alius furtum committat, (b) per obliquum, veluti si quis nummos alicui ex manibus excutit, ut alius eos auferat, oves fugat, ut alius eas abducatur *l. 52. §. 13. ff. de furt. §. d. §. n. l. d. t. ibi: aut oves tuas vel boves.* Quo spectat exemplum illud quod *A. Gellius ex Sabino refert. l. ii. cap. 18.* furem hominis scil. iudicatum esse illum, qui, cum fugitivus præter oculos domini forte iret obtentu togæ tanquam se amiciens, ne videretur a domino, obstitisse. (2) Late qua in significatione opem ferre significat præbere adjumentum quod inest quibusdam consilii speciebus, cujusmodi est, de quo agitur *in l. 50. ff. d. t.* quod scil. instruit & rationem furandi ostendit, veluti si quis aliquem doceat rationem, quomodo fenestras vel alium locum oclusum aperire, sicque in aedes penetrare possit, aut furi indicet ubi pecunia sit reposita atque recondita: In hisce enim simul inest opera quædam *Bachov. ad cit. §. ii. Inst.*

§. V.

Sed & ante commissum furtum auxiliatores furum existunt, qui consilii ipsis assistunt, vel ferramenta scalas, aut claves adulterinas suppeditant. In ipso vero actu furandi

randi opem ferre dicuntur, qui assistunt furibus eo tempore, quo maleficio committitur, ut eo commodius atque habilis furtum fieri possit v. gr. qui scalas fenestris admovent, item qui in excubiis stant idque vel eum in finem, ut ex ejus presentia timidus reddatur dominus, fur vero animeretur, aut ut presentia domini furi eo facilius innotescat, sicque evadere possit. Denique post actum furandi auxiliores furum sunt, qui furti crimine jam perfecto & consummato auxilium prestant, aut res furtim surreptas auferendo, occultando furem, ne deprehendatur, sive res furtivas occultando & vendendo, vel opem prestando ad evadendum & fugam arripiendam. *Barol. in l. in furti 50. §. ope 1. n. 4. ff. de furt. Matth. Steph. in Ord. Crim. art. 177. Menoch. lib. 2. de arbitr. jud. qv. pr. cent. 4. cas. 349. n. 21. & ex iis Papinianus ille Saxonicus Carpz. p. 4. c. 40. d. 3. n. 2. & 3.* Atque rerum furtivarum receptatores accurate loquendo ipsis auxiliatoribus contra distinguuntur, quemadmodum hoc patet ex tx. in *Sachsen L. R. lib. 2. a. 13.* Recipiens namque furem, seu rem furtivam, aut furi auxilium prestans, si convincitur pari poena cum fure plebitur. *August. Arimm. ad Angel. Aretin. in tract. malefic. verb. Et Andream auxiliatorem. num. 5. Carpz. d. l.*

§. VI.

Hæc omnia ut eo clariora reddantur, DD. communiter distinguere solent, inter auxilium per actum proximum, & auxilium cooperativum per actum remotum, ita ut hos qui tantum consilium atque occasionem per indicium & demonstrationem dederunt, auxilium cooperativum, per actum remotum. Illos vero qui forte ipsi scalas fenestris supposuere, aut ut fenestris supponerentur, commodarunt, vel ipsi fenestras aut ostium effregerunt, ut alius furtum faciat, quive ferramenta ad effringendum suppeditarunt, auxilium cooperativum per actum proximum tulisse affirmant. *Vid. Philipp. Us. I. Pr. l. 4. Eclog. 6. n. 2. & 5. Carpz. p. 4. c. 40. def. 2.*

B

SECTIO



SECTIO II.
EXHIBENS REQUISITA AUXILIATO-
RVM FVRVM.

§. I.

NON simpliciter is, qui claves adulterinas aut ferra-
menta ad effringendum aut scalas ad ascendendum,
vel aliis modis auxilium præbet, auxiliator furum dici
potest, sed requiritur ad hoc (1) ut dolo malo id fecerit
sciens scil. cujus gratia commodaverit vel auxilium præ-
buerit *l. 54. §. ult. ff. de furt. Manz. d. l. n. 2.* Sicuti enim
nemo furtum facit sine dolo, cum illud sit contrectatio
fraudulosa, ita nec consilium, vel opem ferre sine dolo
malo, ita ut proprie auxiliator furum dicatur, quis potest
Mynsing. ad d. §. ii. n. 2. Ex voluntate enim atque dolo
æstimantur delicta *l. 53. pr. ff. d. r. quo respiciunt ea Baldi
in l. fudiffimam C. ad l. Jul. de adult. tolle voluntatem &
omnis actio erit indifferens add. Farinac. oper. crim. quest.
131. n. 28.*

§. II.

Ex quibus per se liquet, eos qui absque consilio &
voluntate opem præstiterit auxiliatores furum non esse, un-
de si quis ignoranter scalas aut ferraamenta alicui commo-
dat, hic vero ad furtum committendum iis utatur, com-
modans auxiliator furis dici nequit, utut enim auxilium
præstiterit, factum id tamen absque consilio & proposito de-
linquendi *vid. Manz. d. l. n. 9. Carpz. pr. crim. p. 2. quest. 87.
n. 7. Schneidwin. l. c. n. 3.* Sicuti enim auxiliator homicidæ
dici nequit, qui ignoranter præstat opem v. gr. si quis di-
ceret, se velle ire rus, & commodasset equum & arma, &
postea occidisset hominem *Baldi. in l. quicumque C. de serv.
fug. per l. apud antiquos C. de furt.* Ita quoque qui ignoran-
ter opem præbet furi auxiliatoris nomen habere nequit.

§. III.

Quomodo ignorantia & b. fides hic probanda veniat
nulla

nulla certa definiri potest regula, etenim probe ante omnia attendendum, an is qui ignorantiam allegat sit homo suble-
stæ fidei, an vero bona gaudeat fama, item an opibus sit in-
structus habeatque unde vivere possit, an vero omnibus vi-
vendi mediis careat, tales enim lucri causa in delictum fa-
cile consentire solent, unde arbitrio judicis hoc potius re-
linquendum quam ut aliquid certi hac in parte determi-
nare velimus.

§. IV.

Quoniam absque lucrandi animo furtum non com-
mittitur, cum illud sit contrectatio fraudulosa lucrificandi
causa §. 1. *I. b. t.* absque hoc enim nec furtum committi-
tur, nec pœna furti infligitur §. 1. *I. b. t. Carpz. l. c. n. 16.*
Hi vero qui proprie auxiliores furum dicuntur furti rei
sunt, quamvis enim physice rem non contrectent, faci-
unt id tamen moraliter, & ex interpretatione legum *Vir-
Hahn. ad Wesenb. tit. de furt. n. 4. & 11.* Et licet furtum
directo non committant, faciunt hoc tamen per indire-
ctum. Hinc (2) ad id, ut quis auxiliator furum dici queat,
necessario requiritur ut lucrandi animo consilium aut
auxilium præbuerit; uti enim alias propositum & volun-
tas maleficia distinguunt, ita in furti delicto ex animo lu-
crandi, de crimine hoc judicari debet *l. 53. ff. de furt.
Carpz. d. l. n. 33.*

§. V.

An vero & (3) ad hoc ut quis auxiliator furum dica-
tur, desideretur, ut non semper consilium, sed & opem tulerit,
seu an unum horum sufficiat controversia haud caret:
sane *Carpz. pr. crim. p. 2. qv. 87. n. 2.* verba hæc separatim,
non vero conjunctim esse accipienda docet, cum aliud sit
factum ejus qui ope, aliud qui consilio furtum promovet
*l. 53. §. item dubitatum. ff. V. S. l. 52. §. neque verbo 19. ff. de
furt.* quam sententiam apprime juvat, quod opem furi præ-
stare dicatur is, qui ipsi ad committendum furtum assistit
v. gr. qui ministerium ad res surripiendas præber, consi-
lium vero det ille, qui persvadet atque impellit vel instruit,



quo loco videlicet res sint repositæ, quo modo & quo tempore furtum optime in effectum possit deduci *Oldendorp. action. for. progym. cl. 7. act. 3.* Monet tamen idem *Carpz. eod. in loco n. 3.* verba hæc: ope & consilio conjunctim poni solere, cum de eo qui furtum facienti opem solum tulit, tum de illo, qui duntaxat præbuit consilium, rationem assignans hanc: quod is, qui opem tulit, præsumatur quoque consilium malignum habuisse, cum actus illicitus dolo carere non soleat, utut consilium absque auxilio sæpius existat. Et hæc sententia communi DD. recepta videtur calculo, conf. *Gædd. ad l. 53. ff. de V. S. Matth. ad l. 47. n. 11. & seqq. de R. I. Joh. Harp. Hottom. & Heig. ad §. 11. d. obl. quæ ex del. nasc. add. Eckolt. tit. ff. de furr. §. 17. Ungep. ex. 13. qv. 7.* Ut adeo recte auxiliator furum dicatur, cum is, qui consilio, maxime si illud non fuerit simplex, simplex autem est, veluti si quis de paupertate conquerentem indefinite moneat & hortetur, ut furtum committat, tum qui ope furi adfuit. Alia vero est quæstio: An uterque actione furti pulsari queat, item quæ pœna de moribus in ejusmodi auxiliares sit statuta, de quibus, cum hujus loci non sint, in seqq. dicetur sectionibus.

§. VI.

Sed an (4) & furti consummatio necessarium auxiliatoris furis constituat requisitum, nunc inquirendum venit. Affirmativam sententiam probare videtur *Ulpianus. l. 52. §. 19. ff. d. furr.* quando ait: quod opem ferre vel consilium dare furi tunc noceat, cum secuta sit contrectatio. Etenim si fur dicendus non est, qui non contrectat, h. e. rem de loco in locum non movet *Eckolt. d. r. §. 4.* Quomodo auxiliator furis furto non infecuto neque in effectum deducto, dicetur? Hoc jure enim utimur ait *Ulpianus l. c.* ut furtum sine contrectatione non fiat. Sed hæc non impediunt, quo minus eum, qui furi v. c. non solum consilio ante furtum seu actum furandi, sed & ope in ipso actu adfuit, auxiliatorem dicere quis possit. Quippe cum quantum

tum in ipso fuit officio suo satisfecerit, neque contrectatio ab ipso auxiliatore, sed a fure requiratur. Imo quod furtum in effectum non fuerit deductum ex accidenti est, ea autem, quæ per accidens fiunt, plerumque considerari non solent. Ad rationem igitur dubitandi responderetur, Ulpianum in adducta lege nihil aliud velle, quam quod contrectatione non infecuta auxiliatori auxilium suum ita non noceat, quam si eadem revera facta fuisset. Illud enim juris est expediti, quod delictum inchoatum, non vero plene consummatum, non solum delinquenti principali, sed & personis accessoriis pœnam mitiget.

§. VII.

Denique sunt qui (5) & ultimo loco realem lucri participationem in auxiliatore furum desiderant. Sed ut ut auxiliator de furto commissõ nil lucratus, quin is recte tamen catalogum auxiliatorum furum compleat nil obstat, unde & talis pœnam incurrit, quamvis non ordinariam, qua de re sect. 4. pluribus agetur.

SECTION III.

DE

ACTIONIBVS IN AVXILIATORES
FVRVM COMPETENTIBVS.

§. I.

ACTVRI hoc in capite de actionibus adversus auxilia-
tores furum competentibus, necessario de actioni-
bus, quibus ipsi tenentur fures, aliquid dicendum
erit. Constat itaque ex generali doctrina de furtis, actio-
nes ex furto & ejus occasione competentes partim esse rei
persecutorias, partim pœnales. Ad actiones rei persecu-
torias quod attinet, illæ sunt: ACTIO AD EXHIBENDVM,
quæ præparatoria est rei vindicationis *l. 1. ff. ad exhib.*
quippe cum res furtiva vindicari nequeat, nisi prius exhibeatur:

B 3

beatu:

beatur: CONDUCTIO FURTIVA & REI VINDICATIO l. 7.
 §. 1. de conduct. furt. §. fin. l. de obl. quæ ex delict. nasc. POEN-
 NALES vero quod concernit ACTIONES illæ dispeſcuntur
 rursus in CIVILES ad privatam scil. vindictam, & CRIMI-
 NALES ad publicam vindictam tendentes. CIVILIS voca-
 tur actio furti, eaque vel MANIFESTI, vel NON-MANI-
 FESTI quarum illa est actio personalis, civilis, perpetua,
 atque famosa ad consequendum quadruplum ejus, quod
 furto subtractum est, hæc vero describitur, quod sit actio
 personalis, civilis, perpetua atque famosa, ad consequen-
 dum duplum ejus, quod a fure sublatum est. Actio vel
 potius ACCUSATIO CRIMINALIS, vel ex jure civili de-
 scendit, tenditque ad poenam arbitriariam, seu extraordina-
 riam, l. fin. ff. d. furt. Estque regulariter PECUNIARIA
 arg. §. 5. l. de obl. quæ ex del. nasc. & arg. §. 18. & 26. l. de
 action. l. 13. §. 7. ff. de his qui not. inf. VEL QUANDOQUE
 CORPORIS AFFLICTIVA arg. l. 56. §. 1. & l. fin. ff. d. furt.
 utut nunquam capitalis Nov. 134. c. fin. versic. pro furto. &
 autb. sed novo jure C. de serv. fugit. De moribus vero ten-
 dit hæc accusatio criminalis ad poenam laquei sive suspendii,
 si furtum scil. fuerit magnum h. e. summam quinque soli-
 dorum ungaricorum excedat, vel cum effractione commis-
 sum vid. Eckolt. ff. d. furt. §. 13. 15. & 18.

§. II.

Quod igitur ACTIONES REI PERSECUTORIAS
 concernit, neminem puto ambigere posse, actionem ad
 exhibendum una cum rei vindicatione adversus auxilio-
 res furum quoque competere, utpote cum his actionibus,
 quilibet rerum furtivarum possessor conveniri queat. Ma-
 jorem vero habet dubitationem, quod de conditione fur-
 tiva quæri solet: an scil. & ea adversus eum, cujus ope &
 consilio furtum factum est, detur? Negativam propugnat
 sententiam Wesenb. tit. de conduct. furt. cap. 35. n. 3. Sed re-
 ctius affirmativam defendit Bachov. in Not. ad Wesenb. d. t.
 n. 7. (1) quia is, uti mox dicendum, cujus ope & consilio
 furtum

furtum commissum, actione furti tenetur, quæ est poenalis & magis odiosa, cur igitur non & hac actione? (2) quia *l. 53. §. fin. ff. d. V. S. condici potest illi, qui opem tulit, add. l. fin. C. de nox. act.* Verum hæc non adeo simpliciter & absque ulla accipienda sunt limitatione, quin potius distinguendum esse censeo inter eum, qui opem tulit sola persuasione & instructione ad furtum faciendum, h. e. qui nudum suppeditavit consilium, & inter eum, qui facto suo seu ministerio atque adiutorio ad ipsam rei concurrat subtractionem. Prior sane conditione furtiva non tenetur, cum ratione ejus nulla subsit contrectatio, conditio autem furtiva non nisi ratione furti & contrectationis competat. *Hahn. ad Wesf. de cond. furt. n. 7. §. 1.* Quamvis reperiantur, qui & hoc casu, ubi nudum saltem intervenit consilium, non quidem directam sed utilem tamen competere conditionem furtivam firmare haud dubitant, *Vid. Clud. d. ir. cap. 2. n. 11.* Posterior vero eam nullo effugere posse modo, constans ferme DD. est sententia *vid. Hahn. d. l. Bachov. l. c. Brunn. ad l. 6. ff. de condit. furtiv. Illustris Dn. Struv. S. F. C. ex 18. th. 55. qui ibid. citat Taber. racem. crim. 4. ad tit. de furt. th. 17.*

§. III.

Relictis actionibus rei persecutoriis progredior nunc AD POENALES, inquisiturus an & hæc adversus auxiliares furum competant, eas non habere locum videretur probari posse, quod furtum sine fraudulenta contrectatione non committatur: Ast qui consilium & opem ad furtum committendum præstat, ipse rem non contrectat, ergo nec furtum committit, & per consequens neque actione furti tenetur. Sed cum multis in casibus paria sint damnum dare & occasionem damni præstare, hinc taliter ad rationem hanc dubitandi responderet *Manz. ad d. §. 11. tit. de furt. n. 6.* scil. opem ferentem etiam si re ipsa contrectando non fecerit, nihilominus tamen furti teneri ad minimum nec manifesti, quia non multum abest a contrectatione, furto videlicet

del. subsecuto. Requiritur vero ad hoc, uti toties monitum, ut dolo malo id fecerit, sciveritque aliquem furtum esse, vel furtum facturum esse: sicut enim nemo furtum facit sine dolo malo, ita nec consilium vel opem ferre dolo malo potest, ita ut in veri auxiliatoris furtum incidat definitionem, pœnamque a legibus statutam incurrat. Cur autem actione non-manifesti saltem, non vero manifesti teneantur juxta doctrinam *Wesemb. nec non Harpr. ad d. §. 11. Inst. ratio a Mynsing. ibid.* assignatur talis, quia scil. revera fur non est, sed tantum interpretative, interpretatio autem in benigniorem flectenda partem *l. 9. ff. de R. I. cap. 30. de R. I. in 6.*

§. IV.

Affirmativam itaque sententiam veriolem esse actionemque furti adversus auxiliatores furti competere asserere non dubito, imprimis cum ea in *l. 34. l. 50. §. 1. & 2. l. 52. in pr. & §. 19. ff. de furt. add. Brunn. ibid.* Ratio vero cur actione furti tales conveniri possint, est, quia utut ipsi rem non contrectaverint, præstando tamen occasionem delinquenti censeantur causam delicto dedisse, sicque ejusdem culpam contraxisse, obtinetque vulgaris ille Philosophorum canon, causa causæ est quoque causa causati.

§. V.

Et hoc, quod de auxiliatoribus furtum dictum, procedit in tantum, ut auxiliator furtum actione furti teneatur, licet non lucri sed inimicitia gratia id fecerit *d. l. 50. §. 1. & 2. ff. de furt. ibique Brunnem.* modo (1) dolo id fecerit, (2) per suaverit & impulerit, aut modum ostenderit, vel aliter ministerium præbuerit. *Id. ibid.*

§. VI.

Evenire quoque potest, ut licet ipse delinquens principalis actione furti non teneatur, ea tamen in auxiliatorem nihilominus competat, qui casus occurrit in *l. 14. C. de furt. & servo. junct. l. si quis uxori in pr. ff. de furt.* Sic, si quis rem furtivam a servo, uxore aut liberis alterius dolose

lose & animo celandi recipiat, quamvis adversus servum, uxorem aut liberos actio furti non detur, recipiens tamen hac actione pulsari potest §. 11. *I. h. c. Brunnem. ad l. 14. C. d. t.* Nam licet vinculum dominicæ potestatis, vel etiam necessitudinis inter dictas personas actionem furti non admittat, hoc tamen inter receptatorem atque dominum rerum furtivarum cessante, ipsam quoque juris dispositionem cessare facit.

§. VII.

Sed & adversus eum, qui consilium saltem suppeditavit, furi, actionem hanc locum invenire, recte defenditur, dummodo id effectum habuerit, secutumque fuerit furtum *l. 53. §. 1. in fin. ff. de V. S. l. 52. §. 19. ff. de furt. Eckolt ibid. §. 17. add. Manz. ad cit. §. 11. I. d. t. Wesenb. paratit. ff. de furt. n. 11. Damhoud. c. 116. n. 3. & seqq. Gædd. & Wissenbach. ad cit. l. 53. ff. de V. S.* Licet enim, uti jam antea monitum, ex consilio nemo regulariter obligetur, non tamen hoc procedit, si illud fuerit malignum atque fraudulentum, hoc enim casu obtinet illud, quod in proverbium cessit: Malum consilium consultori pessimum. Et hoc quam maxime procedit locumve invenit, si fur, cui quis consilium suppeditavit, alias furtum perpetraturus non fuisset *Mynf. ad d. §. 11. I. de obl. quæ ex del. nasc. n. 4.*

§. VIII.

Quod si vero is, cujus saltem consilio furtum est commissum, si illud in effectum fuerit deductum, actione furti tenetur, multo magis hoc verum erit de eo, cujus ope furtum perpetratum. Sed hoc dubio non caret, an scil. Dominus rei furtivæ, si rem suam a fure & præterea pœnam dupli vel quadrupli jam sit consecutus, nihilominus auxiliantem convenire & contra ipsum agere queat? Etenim durum esse videtur fure pœnam sustinente remque furtivam restituente, auxiliatorem nihilominus conveniri posse, præsertim cum nemo cum alterius damno fieri debeat locupletior *l. contra naturam est. ff. d. R. I. id quod tamen*
C
hoc



hoc casu fieret, si præter furem rem restituere obstrictus sit auxiliator. Sed verius esse videtur rei furto ablata dominum etiam si rem a fure jam consecutus fuerit, propterea tamen non prohiberi contra auxiliatorem agere, idque (1) quia non solum ipse, qui furtum commisit, sed & ille, qui opem tulit furti tenetur, (2) quia delictum quemvis delinquentem obligat in solidum *l. 7. cum seq. ff. de jurisd. omn. jud.* unde & quoties pœnalis actio ex delicto adversus plures datur, uno pœnam solvente alii non liberantur. *Myns. ad §. 11. n. 3.* Nec obstat quod ipse fur pœnam jam præstiterit, etenim sermo hic est de actione pœnali, cujus hæc est natura, ut si alius pœnam præstiterit, hoc alium non relevet, singuli enim delinquentium pœnam propriam tenentur solvere, cum tot pœnæ sint commissæ, quod delicta sunt perpetrata.

§. IX.

Cessat tamen actio furti (1) si quis non dolose, sed ex quadam petulantia & levitate auxilium furibus præbuerit, hoc enim casu dabitur solum actio in factum, per verba *tx. in d. §. 11. l. cit. tit. ibi: sed si quid eorum per lasciviam & non data opera, ut furtum admitteretur factum est, in factum actio dari debet.* Furtum enim absque affectu furandi non committitur. Cur vero actio in factum solum locum habeat, exponit *Manz. ad d. §. n. 14.*

§. X.

(2) Non competit actio furti adversus eum, qui nudum suppeditavit consilium, furto non insecuto *Eckolt. d. t. §. 17. Manz. l. c. n. 15.* non enim verbis, sed re seu facto furtum committitur: quod si tamen consilium illud cum verbis pervasoriis fuerit conjunctum, obligatur ex tali pervasione consilium dans, etiam delicto non subsequente, cum talis pervasio propriam delicti constituat speciem *D. Strype. de jure blandit. cap. 6. n. 7. & seqq.* Imo consilio si accedit instructio, reus non tam pro consulente, quam auxiliatore habendus, id quod in primis de jure Saxonico procedit, quippe

quippe cum ex *confit. Elect. 40. p. 4.* solis quoque indiciis atque demonstrationibus auxilium præbeatur.

§. XI.

Cessat quoque actio furti (3) ratione auxilii post furtum consummatum præstiti: *Menoch. lib. 2. cent. 4. arb. Qu. cas. 349. n. 21. Brunnem. ad l. 14. C. de furt.* Neque enim post commissum delictum proprie auxilium præbere, aut furtum promovere quis dicitur *Carpz. Pr. Crim. p. 2. qu. 87. n. 73.* Unde ipsa quoque svadet æquitas, ut discrimen ponatur inter eum, qui ipse maleficium suo facto committit, aut delinquenti cooperatur, & inter eum, qui saltem post crimen perpetratum tegit & occultat facinus delinquentis *Bocer. de furr. c. 3. n. 12.* Nec obstat *l. 14. C. de furt.* in qua expresse dicitur eos, qui a servo furtim ablata scientes susceperint, non tantum de susceptis conveniri, sed etiam pœnali furti actione posse. Responderi namque solet, legem hanc non loqui generaliter atque simpliciter de quocunque receptante rem furtivam, sed tantum de receptante rem a servo, ita ut non tam attendatur receptio rei furtivæ, quam corruptio servi *Finckelth. obs. pract. 112. n. 16.* Alii aliter hanc legem exponunt docentes, non quidem in eos, qui post furtum commissum auxilium præbent, regulariter actionem furti competere, speciale tamen quid esse in rerum furtivarum receptoribus, utpote cum & olim peculiaris ratione rei furtivæ receptæ obtinuerit actio, scilicet furti concepti *vid. Brunnem. l. c. n. 3. §. 4.*

§. XII.

Restat itaque, his ita expositis, ut de accusatione criminali moribus introducta quædam in medium nunc proferam: Verum cum hæc ex doctrina de pœna in auxiliatores furum statuta satis cognosci possunt, ad sectionem quartam, in qua hæc de materia agere mihi proposui nunc propero. Sic itaque



SECTIO IV.

DE

POENA AUXILIATORVM FVRVM.

§. I.

DICTVM sect. antec. accusationem criminalem furti ex jure civili tendere ad pœnam saltem arbitriam seu extraordinariam, qua de re legi possunt *Hilliger. ad Donell. 15. c. 29. lit. O. Bachov. ad Tr. V. 2. D. 30. th. 3. lit. E. Eckolt. iii. ff. de furt. §. 18.* Quin eadem ratione auxiliatorum furum quoque competat, nullus dubito. *Vid. Finkelth. Obs. pr. 112. n. ult. Carpz. pr. Crim. l. c.*

§. II.

Hoc vere multo majorem alit dubitationem, qua pœna de moribus nostris auxiliatores furum affici debeant, cum hodie non arbitraria, sed uniformis & a lege taxata pœna laquei seu suspendii scil. locum habeat. Melioris igitur doctrinæ ergo, & ut ordine procedamus, lubet cum criminalistis distinguere, inter eum, cujus CONSILIO furtum commissum, & inter eum, cujus OPE furtum perpetratum est add. *Eckolt. d. l.* Ad illud quod attinet, extra dubium est, delictum committere, qui furti (ut ut nudum fuerit) suppeditat consilium: Dirigitur enim consilium hoc ad delictum, hincque pro consilio doloso habendum. Id quod & veteribus placuit, quod exinde colligere licet quod Carthaginenses mala consilia pœna digna habuerint, etiamsi bene successerint *Vid. Besold. Consil. Polit. ax. 661.* qui & eum in finem ex *Ant. Fay.* citat vericulos sequentes:

Effigiem falso, qui Regis adulterat ære

Supplicio dignum quis neget esse gravi?

Regis at ingenium sedat qui moribus arvis

Dic mihi supplicio quo ferendus erit?

Edicant Minos, Rhadamantus & Aæcus ipse,

Namque potest hominum dicere nemo satis.

Qui

Qui tamen re paulo accuratius inspecta, non videntur hoc probare. „Melius forsan *Drexel. in Phaët. c. 8. quisquis Principi, quisquis Regi, ait, malum suggerit consilium, in sublimi me jactat lapidem, sed caveat, recidet lapis, & svasoris caput feriet.*

§. III.

Cum igitur malum consilium punibile existat, mirum non est illud quoque in eo, qui furi consilium suppeditat puniri. Sed & hic distinctione est opus: Etenim utut extra ordinem possint puniri, imprimis furto subsecuto præbentes consilium absque auxilio, quin tamen poena suspendii nullatenus teneantur juris est expediti, cum & ex juris civilis dispositione furti non teneantur. „*S. ope & consilio I. de obl. qu. ex del. nasc. ibi: Certe qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantum consilium dedit atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti.*” Distinguendum igitur puto inter eum, qui nudum præbet consilium ab omni alio adjumento & auxilio alienum, & qui præter consilium simul instruit atque instigat furem: prior mitiorem incurrit poenam *Carpz. d. l. n. 4.* Posterior vero graviorem. Licet vero quoad priorem divortium ab hac sententia faciat *Prosper Farinac. p. 5. oper. crim. qu. 129. n. 62.* Distinctione hic opus esse affirmans, utrum fur etiam absque isto consilio furtum fuisset commissurus, an non: ita ut illo casu consulens ordinariam furti poenam non incurrat, bene tamen hoc, si scilicet consilio isto non dato, delictum hoc non fuisset perpetraturus. At solidam distinctionem hanc carere fundamento, eamque attendendam haud esse, affirmat *Carpz. loc. antea cit.* Quod vero graviore coerceantur poena, utut itidem saltem extraordinaria, qui præter consilium simul instigant atque instruunt, ratio hæc est: quia hoc casu reus non tam pro consulente, quam auxiliatore habendus: Obtinet vero poenam perpetuæ relegationis cum fustigatione, id quod procedit etiam si de furto simul participaverit *per const. Elect. 40. p. 4.* quæ generalis est, & indifferenter ob præstitam occasionem

C 3

per

per indicium & demonstrationem reum virgis caesum in perpetuum relegari jubet: Et recte, cum participatio sola, proprie loquendo, furem non faciat, sed contrectatio & auxilium cooperativum, ut vocant, proximum. Illustrabit doctrinam hanc sequens sententia in simili lata casu, teste *Carpz. p. 4. c. 40. d. 1. n. 7.* Hat inquisit befanndt und gestanden, daß er H. T. zu dem Diebstahl Vorschub und Anleitung gegeben, und gesagt: Er solle nur an der Oberstuben an der Ecken ein Feld ausbrechen, da würden sie das Geld und Sachen finden, von welchem Diebstahl er nachmahls 30. Gülden bekommen &c. So wird der Gefangene wegen solcher seiner Verbrechen öffentlich büßig zur Staupen geschlagen, und nach ausgestandener Leibes-Strafe, des Landes ewig verwiesen V. N. W. Aliud tamen obtinere videtur de jure meo patrio Provinciali scil. Prutenico, cujus dispositio eo tendit, ut is, qui indicium fecit, occasionem monstravit, & quomodo scalis & aliis instrumentis admotis, januis &c. effractis, furtum patrari posset, docuit, sicque delicto perfecto ex rebus furatis tantum participaverit, quantum ad poenam mortis dictandam sufficit, non secus ac focii laqueo puniatur, etiamsi in ipso furto nullum praestiterit auxilium. *Preusch. l. N. lib. 6. tit. 7. art. 5. §. 1.* Ex quibus apprime jurium statutoriorum in puniendo hoc delicto elucescit differentia, quæ ut eo clarior fiat, integrum adscribere citatum §. non abs re erit: Est autem hic: *Interdum evenit, ut etsi quis furiam ipse non fecerit, furti tamen actione conveniri, & tanquam fur condemnari & puniri possit. Idque imprimis locum habet in his, qui aliis furtum committentibus, ipsi interea sunt in excubiis, & de rebus furtivis participant. Si quis igitur, dum focii, cum quibus ita pactus est, furtum committunt, in excubiis fuerit: itemque, si quis indicium fecerit, occasionem monstraverit, ope consilio fures juverit, qui quomodo scalis & aliis instrumentis admotis, januis, parietibus, fenestris effractis, apertis, furtum patrari posset, docuerit, quique claves adulterinas, aliave instrumenta furtis idonea fabricavit, subministravit, atque ita delicto perfecto, ex rebus furatis tantum participavit, quantum*
ad

ad pœnam mortis dictandam sufficit; is non minus ac socii laqueæ punietur, etiamsi in ipso furto manum non admovit. Eodem jure iis, qui nudum suppeditarunt consilium vel indicio saltem furibus delinquendi occasionem præbuerunt, præterea vero nihil patrarunt, nec facti consortes nec prædæ facti, fustigatio cum relegatione dictari solet Preusch, L. N. d. l. §. 2.

§. IV.

Ab eo, cujus consilio furtum commissum, progredior nunc ad illum, cujus ope & auxilio idem perpetratum: circa quem tres juxta doctrinam Carpz. & omnium ferme Criminalistarum distinguendi sunt casus, an scil. (1) ante delictum commissum opem tulerit, auxilio aliquo reali & cooperativo, animo doloso & lucrificandi, an vero (2) in ipso delicto, an denique (3) post furtum perfectum seu consummatum auxilium præbuerit.

§. V.

Circa eum, qui ante delictum seu furtum commissum auxilium tulit, communiter distingvere solent inter auxilium actui proximum atque remotum. Illud præstat hoc in delicto qui scilicet alicui ad furtum commodat, item, qui ferramenta ad effringendum suppeditat *Sebastianus Gwazzinus Oper. Crim. Tom. 2. defens. 33. n. 4.* Hoc enim vulgo pro auxilio habetur proximo, sine quo quis delictum vel omnino non, vel non facile potuisset committere; sive quod quis præstando ipsemet furtum facere videtur. *Carpz. d. l. n. 17.* Hoc vero præbet, qui indicio ac demonstratione modum & occasionem furandi ostendit: Est enim auxilium remotum, per quod causa immediata furto data non censetur. Is igitur, qui ante furtum commissum, per actum proximum auxilium præbuit, parem cum ipso fure luere debet pœnam *Carpz. p. 4. c. 40. d. 3.* ad quod tamen quatuor potissimum requirere solent. (a) Ut auxilium hoc quis præbuerit animo deliberato atque doloso: Ignorantia enim excusat. (b) Ut auxilium reale sit præstitum. (c) Ut

(c) Ut in auxiliatore animus fuerit lucrandi. (d) Ut auxilium hoc immediate causam furto dederit. *vid. Carpz. l. c. n. 16. Et ita pronunciaſſe Scabinos Lipſienſes teſtis eſt. Idem d. l. n. 19. § 20. add. Philipp. U. J. Pr. lib. 4. Ecl. 6.* Licet vero dentur haud pauci, qui & ei, qui per actum remotum auxilium vel opem praſtitit, ſuſpensionis dictitent poenam, hanc tamen ſententiam non ſolum rationi juris, qua conſuetudinem ad id, ut poena ſuſpensionis locum inveniat, requirit, ſed & praxi modernae maxime contrariatur. Sed cum de eo jam antea §. ſcil. 3. hujus ſect. egi, nil amplius, cum brevis eſſe cupio, de eo nunc dicam.

§. VI.

Progredior ad auxilioſes furibus in ipſo furandi actu aſſiſtentes, quales ſunt hi, qui oſtium effringunt, ſcalas fenestris ſuſponunt, res a fure recipiunt, abſcondunt, cuſtodiant &c. & hi eandem cum furibus luunt poenam, dummodo, uti jam dictum, in ipſo actu furandi manu ſua fraudulenter, dolose & lucri cauſa, opem tulerint. Quis enim dubitaret, eos, qui opem atque auxilium praſtant furibus in ipſo delicto, aequae ac ipſos principales fures eſſe, ſicque pari plectendos poena: quo facit *rx. in Sachſ. L. N. art. 13. lib. 2. in verb. Wer einen mit Hülffe darzu ſtärket, wird er deß überwunden, man ſoll über Jhn richten als über jenen der es ſelbſt gethan hat.* Quoniam vero ad hoc ut dicta poena ſibi vendicet locum requiritur, ut lucri cauſa quis opem tulerit, facile exinde licet concludere, eos, qui conſulto & dolose quidem ad furandum praebuerunt opem, nihil tamen exinde ſperarunt, non quidem ab omni poena immunos eſſe, ſuſpensionis tamen poenam non incurrere, cum proprie fures non ſint. His vero qui opem in ipſo actu tulerunt, annumerantur de jure Saxonico *p. 4. c. 40.* illi qui in excubiis ſaltem ſteterunt & ultra quinque ſolidos participarunt, ita ut & his poena laquei inſtigenda ſit. In tali caſu Scabini Lipſienſes M. April. 1627. ita pronunciarunt: Da N. M. geſtändig oder überführet werden köndte, daß
er

er als der in euer Frage gedachte Diebstal verübet worden, in mittelst auf der Wache gestanden, und also darzu geholffen; So hätte er sich der Strafe des Stranges nicht zu entbrechen. Es wäre dann daß N. M. von den gestohlenen Sachen nichts oder nicht so viel, daß ihme zu seinen Antheil über fünf Soliden, daß seyn fünf Gulden Ungerisch des besten Goldes austräget überkommen hätte, auf den Fall hätte die ordentliche Todesstrafe nicht statt. *B. N. W. vid. Philipp. U. F. pr. d. l. n. 10.*

§. VII.

Post furtum denique commissum auxiliares furum sunt, qui v. gr. assistunt furi, opem præbendo ad evadendum & fugam arripiendam, vel viam monstrando, ut ex manibus iudicis aufugere possit, vel occultando eum, ne deprehendatur, vel etiam res furto ablatas occultando & vendendo vid. Matth. Stephani ad CC C. V. art. 177. Menoch. d. Arb. Jud. Qv. lib. 2. cent. 4. cas. 349. n. 21. De his in genere certa pœna definiri nequit, sed iudicis arbitrium utramque hic facere paginam, asserere nullus dubito. Hoc tamen certi juris est, auxiliatorem, qui præstitit auxilium post furtum jam perfectum & consummatum pœnam laquei non sustinere, sed extraordinarie saltem puniri. Etenim præbens auxilium post furtum commissum, quocunque demum illud fiat modo, proprie auxiliator furum non est *Carpz. d. p. 4. c. 40. d. 3. n. 4.* unde nec veri auxiliatoris merebitur pœnam. Et hoc quoque de iis, quos receptatores furum rerumque furtivarum dicere solemus, procedit, quamvis enim reperiuntur, qui, his laquei irrogandam esse pœnam contendunt, horum tamen sententiam nimis rigorosam esse & nec rationi nec æquitati conformem, verum est. Hi enim furtum ipsum non juvant, sed saltem approbant. Auxiliares vero & furorum approbatores non solent pari affici pœna, vide fusc hæc per rationes dubitandi & decidendi exponentem *Finckelth. obs. pr. 112. per tot. add. Carpz. Pr. Crim. d. l. n. 49.*

D

Et seqq.



§ seqq. § p. 4. c. 40. d. 6. Berlich. p. 5. conclus. 55. num. 55. aliosve, quos magno numero allegat *Finckelth. l. c. ubi* § n. 27. responso Lipsiensium doctrinam hanc confirmat.

SECTIO V. ET VLTIMA,

DE

HIS, QUI CVM AUXILIATORIBVS FVRVM
AFFINITATEM HABENT.

§. I.

MAGNAM sane affinitatem cum nostris auxiliatoribus habent (1) illi, qui de rebus furto ablati delicto jam commisso, & omni ex parte jam consummato participant, easque consumunt, cum quia furtum approbant atque ratificant quasi, tum quia homines ad peccandum seu ad furandum invitant. Pœna tamen suspendii locum hic non invenit, imo neque ea, quæ regulariter auxiliatoribus dictari solet, non enim tam graviter peccant approbantes delictum, atque ii, quorum ope & auxilio delictum committitur. Obtinere igitur solet pœna relegationis. Sed quid, si in furtum committendum consenserit? Nec hoc casu pœnam locum habere posse ordinariam, verior est opinio, cum dici nequeat talem auxilium cooperativum præstitisse *vid. Carpz. d. p. 4. c. 40. d. 4. § 5.* ubi his intervenientibus circumstantiis pœnam sustigationis locum sibi vendicare, docet.

§. II.

Porro habent convenientiam cum auxiliatoribus furum, qui scienter res furtivas emunt, cum & de jure civili furti teneantur *l. 5. C. de furt.* neutiquam tamen & ratione horum suspendii pœna, cum emtio rerum furtivarum non sit contractatio, sed nuda furti approbatio, quæ pœnam suspendii non meretur: Arbitraria igitur & hoc casu

casu erit statuenda. Si quis tamen ignoranter res furtivas a fure emerit, nulli subjacet pœnæ, sed ab omni coercitione immunis est, ubi tamen probatio ignorantiaë requiritur, cum præsumatur scientia, maxime, si quis rem furtivam clam emerit *Sichard. in l. 2. n. 6. C. de furt.* Alia tamen deficiente probatione ad juramentum is, qui allegat ignorantiam, admittendus erit. Satis quoque talis emtor punitur eo ipso dum absque omni pretii dati receptione, rem furtivam, etiamsi eam b. fide emerit, restituere vero domino supervenienti tenetur.

§. III.

Pertinent huc ulterius illi, qui fures captivos carcere eximunt, quos, si veteris juris dispositionem sequi velimus, gravissimam manere pœnam extra dubium est. Etenim de jure veteri commentariensis vel custos carceris, qui fraudulenter versabatur, connivendo vel adjuvando, ut reus evaderet, capitis pœna plectebatur *l. f. C. de Custod. reor.* ubi tamen capitis pœna non de morte naturali, sed etiam civili intelligenda venit *l. 103. ff. de V. S. l. 2. ff. de P. F.* Verum hodie hæc aliter sese habent, & tota res relinqui solet arbitrio judicantis, ut ille æstimet, quam culpam mereatur commentariensis ob culpam vel dolum. Vid. pluribus hæc tractantem *Philip. Us. Inst. pr. l. 4. Eclog. 19.* Dixi autem, hos affinitatem saltem cum auxiliatoribus furum habere, quia auxiliator furum is demum dicitur, qui ratione ipsius furi ei assistit, id quod tales non faciunt, non enim furti complices sunt, sed saltem fures a pœna liberare satagunt, sicque facto suo immediate lædunt Rempublicam.

§. IV.

Quarto referri huc possunt auxiliatores Plagiariorum, h. e. furum hominum, quos non minus, quam ipsos plagiarios pœna gladii manet. arg. *l. 10. ibique Brunn. l. Fab.*



de plagiar. Ratio vero cur cum delinquentibus principalibus eandem sustineant pœnam auxiliares, in atrocitate hujus delicti consistit, *vid. Carpz. Pr. Crim. p. 2. qv. n. 90. Philipp. Us. I. Pr. l. 4. Ecl. 92. n. 9.*

§. V.

Sequuntur nunc quinto hi, qui non impediunt furtum, cum impedire potuissent, *vid. Brunn. ad l. pen. ff. d. furt.* qui tamen actione furti non tenentur, cum neque physice, neque moraliter contrectaverint.

§. VI.

Denique notandum, quod is, qui furem novit, licet non indicet, fur non sit, *l. 4. §. 1. ff. de furt.* unde colligunt & concludunt DD. non teneri aliquem indicare furem jure civili, quamvis secus sit de jure Canonico *c. 4. n. de furt. Mascard. conclus. 834. n. 11. Farin. qv. 168. n. 61.* maxime si publice admoneatur, ut indicet, sub pœna excommunicationis. Et hæc de nobili hac materia pro ratione instituti mei dixisse mihi sufficiat, cum multa adhuc, imprimis de indiciis adversus auxiliares furum addi potuissent *vid. Manz. ad CC. C. V. art. 40.* Uti igitur Deo immortalis, inexhausto justitiæ fonti, debitas pro concessis viribus persolvo grates, ita a L. B. si in aliquo forsitan lapsus fuerim, veniam me facili consecuturum esse negotio, certo certius confido.

F I N I S.

* * * * *

Expu-



* * *

Expugnare graves urbes, transcendere rupes:
Nunc belli Ducibus grandis habetur honos.
Non minor est virtus, Pallas quas condidit arces
Artis & excelsos obtinuisse thronos.

Ad honores Doctorales optime meritos aspiranti

Dn. Sterlick hifce gratulatur animitus

P R A E S E S.

* * *

Licet beata dotibus praëconi
Virtus fuismet nil eget; satis bono est
Fecisse recte pectori: tamen volens
Præclara fama, calcar indolis bonæ
Comisque laus, ut umbra corporis comes
Nitidumque solis aurei jubar cluit,

D 3

Soler-





*Solenter isthanc ambit atque ei studet.
Namque improbi natura fert laboris hoc,
Ut non recuset se remunerarier.
Hinc TE Themis beabit Nostra premiis
Tibique imponet pulcrum purpuræ decus!*

Quod vovet

PETRVS MULLER, D.


Pandectar. Professor et Collegii Ju-
ridici Decanus.



Nulli divitias, nulli sua munera pandit,
Ni qui sincere se colit, alma Themis.
Hic sudore opus est, vastique volumina juris
Volvi indefessa mente manuque volunt.
Hæc casu sperare nefas: non queritur ulli
Doctorum nomen vel prece vel pretio.

Virtu-





Virtuti hæc merces soli studiisque statuta est

Impigris, alia non ea lege datur.

His Tu subnixus mediis ambire supremum

Doctorum visus, Candide Amice, decus.

Hæc illud Tibi lege datum, nunc incipe tandem,

Quem virtus peperit, clarus honore frui.

Hæc Gratulabundus effundebat

JOH. LEONHARDVS LOTZBECIVS

J. U. Doctorandus.



Faint, mirrored text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side. The text is mostly illegible but appears to be arranged in several lines.



Jena, Diss; 1687 A-M

ULB Halle 3
004 318 978



f

V D 17 W B 56. WIPSSER





Gr. 8. num. 16.

104

14

1687/12^b

9
D. D. O. M. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

AVXILIATORIBVS F V R V M

Oder:

Von Diebs = Helffern.

QVAM
DIVINO NVMINE ADIVVANTE
SVB MODERAMINE

P 423
DN. NIC. CHRISTOPH. LYNCKERI

HEREDITARII IN FLVRSTAEDT ET KOETSCHAV
ICTI CONSVMMATISSIMI
SERENISS. DVCIS SAXO-VINAR. CONSIL. INTIMI
FAC. IVRID. SEN. ET ANTECESS.
PRIMARII ETC.

PRO LICENTIA
SVMMVM DOCTORIS IN VTROQVE IVRE GRADVM
PRIVILEGIA ET INSIGNIA MORE MAIORVM
RITE CONSEQVENDI

IN AVDITORIO ICTORVM
PVBLICO ET SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SISTIT
CHRISTIANVS STERLICK

REGIOM. BORVSS.
AD D. XI. OCTOBR. CIOIOCLXXXVII.

IENAE, REC. LITTERIS RITTERIANIS
AN. MDCCXXXXV.

